



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Rebus Iaponicis, Indicis, Et Pervanis Epistolæ
Recentiores**

Hay, John

Antverpiae, 1605

Serenissimo Et Reverendissimo Principi Ac Domino, D. Ferdinando,
Coloniensi, Leodicensi, Stabvletano Coadivtori, Comiti Palatino Rheni,
Vtriuvsqve Bavariæ Dvci, &c. Domino Svo Clementissimo: Joannes ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61204)

SERENISSIMO
ET REVERENDISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
D. FERDINANDO,
COLONIENSI, LEODICENSI,
STAVLETANO COADIVTO-
RI, COMITI PALATINO RHENI,
VTRIVSQUE BAVARIÆ DVCI, &c.
DOMINO SVO CLEMENTISSIMO:
Ioannes Oranus Societatis IESV.



*RATA est, & utilis, rerum apud
 externas Gentes gestarum scriptis
 presertim cum narrationi fides &
 scribentis autoritas accesserit. Ita
 enim natura comparatum est, ut quae
 in oculis non sunt, sed cum admiratione audiuntur,
 imprimantur vehementius, hereant diutius, & ad
 imitationem animos excitent, vel certe ad Deum lau-
 dandum in mirabilibus operibus suis permoveant.
 Quae causa cur de Societate IESV Patres, magna
 cautela, literis ea communicet, quae ab alijs ignorata,
 ab ipsis verò visa, & ut modestissimè loquar, attenta
 illo adiutore, qui etiam mutas infantium lingua
 facit*

facit disertas, libenter euulgent: ut hac vita societa-
 te, & officiorum communicatione, absentes nobiscum
 loquantur, & vastissimas ignotasq; Gentes in Europa
 sinu propemodum constituent. In quibus multa sunt,
 quae virtutem, consilium, & maiestatem illam veterē
 redolent, & minore cum inuidia, honestiore ratione,
 uberiorēq; omnium fructu, leguntur. Ac mihi, eas stu-
 diosē percurrēti, nonnūquam subit timori permixta
 non vana, ut arbitror, cogitatio, ne infinita illa Alti-
 tudo, cuius consilia & decreta nullo hominum aut
 Angelorum sensu comprehendere possunt, & quae, ple-
 bem non suam, plebem suam vocat, sceleribus nostris
 offensa, iustissima & peccatis nostris debita pœna, nos
 condemnet; sustinueritq; hactenus in multa patientia
 vasa irae apta in interitum, ut ostēdat diuitias gloriae
 suae in vasa misericordiae, quae preparauit in gloriam.
 Nam quae fuerunt vnquam crimina, in quae turpiter
 iam non voluimus? sic, ut cōditionis & status nostrī
 oblitī, ad inania ambitionis, fastus, libidinis simulacra
 conuertamur, & senescente ferēque emortua natura,
 miserimē concidamus. Sed non est huius loci maior
 lamētatio. Faxit Deus, ut in his epistolis, iāquā in spe-
 culo, errorem nostrum videamus, & deter sis iniqui-
 tatis maculis, in veram libertatem & integritatem
 nos asseramus. Quas sub nomine tuo, Serenissime
 Princeps, latinē loquentes edimus, ut te honorario ar-
 bitrio in lucem exeant, & hoc munusculo leuidentē
 crasso filo Seren. Familiam tuam (alterum, ut quod est
 loquar, Germaniae clarissimum oculum) in nos socie-
 tatemq;

tatemq;

tatēque nostram propensissimam, teque datum nobis, & Ecclesie Leodicensi, Dei voluntate, Patria patrem, ac libertatis vindicem, recognoscimus. In quibus deprehendes, quae plurimum oblectent, & quae consolare omnibus, mederi aliorum incommodis, providere omnium salutem (Principis prudentis officia) meditantem non parum adiuent. Inuenies etiam, quot ad veteram sapientiam, religionem, continentiam, rerum humanarum despicentiam, mortis meditationem, eiusque contemptum, igniculos natura nobis subministrat. Ut merito pudere debeat, quibus melius quoddam lumen affulsit, in his propè omnibus tam esse remissos. Deum Opt. Max. S. T. nobis, totiq; suae Ecclesiae quam diligentissime incolumem conseruet. Leodici, Decimo-quinto Calendas Augusti, M. DC. I.

